

postea pelle mea circumdabuntur ista, & ex carne mea videbo DEUM. Ubi notes duo. 1. Visionem (pelle circumdabuntur) quo pacto veteres Talmudistæ pariter locum istum intellexerunt de resurrectione, & Lutherus eundem planè sensum expressit. 2. Quòd visionem corporalem à Jobo notari censuerint. Eo enim fine Jobi dictum allegatur ibi, ut probetur traditio, quòd Mundus oculis corporeis DEUM sit visurus. Nostram ergo doctiores Rabbini opinionem expressè approbant, & contrarias refutant.

## LXVII.

14. A testimoniis Patrum.

XIV. A testimoniis Patrum. Nullus est ex orthodoxis & antiquis Patribus, qui non dictum hoc Jobi de ipsa carnis resurrectione exposuerit. Hieronymus ad Pammachium scribit: *Quid hac Prophetiâ manifestius? Nullus tam apertè post Christum, quàm iste ante Christum de Resurrectione loquitur, sperat resurrectionem, Imò vidit & novit.* Cassiodorus lib. 1. divin. lect. c. 5. *Resurrectionem carnis sic prophetat, ut nullus de ea vel manifestius vel cautius aliquid scripsisse videatur. Scio, ait, quòd Redemptor meus vivit etiam.* Augustinus lib. 22. de civitate Dei, cap. 29. *Illud, quod ait Job, In carne meâ videbo Dominum, resurrectionem carnis sine dubio prophetavit.* Cyprianus in expositione Symb. Job mysticis redundans totus eloquiis, evidenter resurrectionem mortuorum predicat. Adde Clementem Romanum lib. 5. constit. c. 5. Tertull. de resurrect. car. c. 29. Cyprianum lib. 3. Testim. c. 58. Justinum in orat. ad Antonium. lib. 5. cap. 15. Nazianzenum orat. 23. in laudem Heronis; Cyrillum Hierosolym. catech. 18. &c.

## LXIIII.

## Membrum quintum.

## ΕΝΙΣΤΑΤΙΣ CONTRARIARUM RATIONUM.

Eugubini sententia.

Inter veteres fuit Eugubinus, qui sententiam illam Jobi de metaphorica resurrectione ad meliorem vitæ conditionem atque fortunam interpretatus est. Nam juxta ipsum, novissimè post calamitosam conditionem Redemptor de terrâ resurrexit, cum tandem visus est Deus ipsi Jobo: tunc rursus circum-

datus